Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Jacob Griesbach

Marci Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstratur : Pentecostes Solemnia Pie Celebranda Civibvs Indicit Academia Ienensi

Ienae: Ex Officina Stranckmannio-Fickelscherria, MDCCLXXXIX.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277

Druck Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0001
DFG

Fc. 1445 1-12.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0002
DFG

14.

PENTECOSTES SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

CIVIBVS

INDICIT

ACADEMIA IENENSIS.

Marci Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse monstratur.

IENAE
EX OFFICINA STRANCKMANNIO-FICKELSCHERRIA
CIↃ IↃ CCLXXXIX.

Fc-1445.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0005
DFG

DEI GRATIA

CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIVS THVRINGIAE MARCHIO MISNIAE COMES PRINCIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE COMES MARCAE ET RAVENSBERGAE DYNASTA RAVENSTEINII REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS

Cum aliquot abhinc annis, eadem occasione, qua hodie recurrente Vos, CIVES OPTIMI, alloquimur, in fontes unde Evangelistae suas de resurrectione Domini narrationes hauserint inquireremus *a*), ad eam Evangeliorum partem, qua historia de Christi in vitam reditu continetur, solam respiciebamus, et tantum de Matthaeo Luca et Ioanne paullo copiosius agebamus, de Marco autem vix paucis verbis velut in transcursu sententiam nostram exponebamus. Quoniam vero de Marco potissimum, vnde sua desumserit, disceptatur, et viri docti, qui hanc quaestionem, nuperrime etiam, tractarunt, ea argumenta, quae liti dirimendae maxime idonea arbitramur, neglexisse fere videntur, huic rei declarandae operam nunc dare decrevimus. Nec in sola resurrectionis historia jam subsistemus, sed de fontibus, e quibus sua hauserit Marcus, universim disputabimus.

Antiquissimi scriptores ecclesiastici inde a Papia, Clemente alex. Irenaeo, Tertulliano, uno fere ore Marcum ea, quae a Petro, cujus

a) in Progamm. paschal. anni MDCCLXXXIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0006
DFG

cujus interpretem ipsum nominant, audivisset, litteris mandasse tradide unt. Primus, quod sciamus, Augustinus, Marcum tanquam pedissequum et breviatorem subsecutum esse Matthaeum, *b*) judicavit. Ex eo tempore plerique viri docti utramque sententiam conjungere, et Marcum partim e Mathaei libro partim e Petri ore ea quae scriberet derivasse, statuere solebant. Recentiores vero nonnulli scite observarunt, tantam esse Marci cum Luca etiam convenientiam, ut hujus quoque Evangelium ille ad manus habuisse videatur. Contra vero Lardnerus Matthaeum a Marco lectum plane non fuisse multis argumentis vincere studuit, *c*) quibus nuper Ven. Koppius *d*) plura addidit, ut efficeret saltim, Marcum non esse Matthaei epitomatorem. Celeb. etiam Michaelis, qui antea vulgarem sententiam defenderat, in novissima introductionis suae in libros N. T. editione eam retractavit, et Matthaei librum Marco, dum scriberet, praesto fuisse negavit. Cum vero tantus sit inter Matthaeum et Marcum in rebus non solum sed in verbis etiam et phrasibus consensus, ut nemo infitiari cum possit, variae excogitatae sunt hypotheses, quibus talis et tantae consonantiae origo et ratio explicaretur. Nonnulli utrumque Evangelistam ex hebraico, nescio quo, Evangelio multa mutuatum esse opinantur. Alii commentarios de rebus ad Iesum Christum pertinentibus complures, breviores ampliores ve, hebraice graeceque conscriptos, olim extitisse putant jam deperditos, e quibus Matthaeus Marcus et Lucas suos libros compilaverint; atque hinc existimant intelligi facile, non solum, cur Marcus plerumque concinat cum Matthaeo, verum etiam, cur alter ab altero interdum dissentiat, et cur Marcus multa notatu dignissima, quae apud Matthaeum leguntur, omittat, contra vero nonnulla etiam, a Matthaeo praetermissa, habeat. Nempe ubi eadem eodem modo narrant, ex eodem fonte hausisse putantur; ubi autem vel addendo vel omittendo vel aliter rem narrando inter se discrepant, diversis usi esse auctoribus statuuntur. Tandem, ut aliorum cogitata praetereamus,

b) de consensu Evangeliorum Libr. I. cap. 2.

c) Supplement to the credibility of the gospel history. Vol. I. cap. 16.

d) in Programm. Gotting. MDCCLXXXII. quod inscriptum est: Marcus non epitomator Matthaei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0007
DFG

tereamus, Rev. Storrius e) hypotheſin vulgari e diametro oppoſitam exornare ſategit: nimirum, Marcum Evangelium ſuum eo jam tempore, quod Act. 11, 17-30. indicatur, ſcripſiſſe; poſt hunc Lucam commentarios ſuos exaraſſe et Marci librum diligenter conſuluiſſe; denique Matthaeum etiam animum ad ſcribenda memorabilia Ieſu Chriſti appuliſſe, et e Lucae Marcique libris in ſuum multa transtuliſſe.

Tantum doctiſſimorum virorum diſſenſum non mirari non poſſumus, cum, noſtro quidem judicio, vel ex ſola trium Evangeliorum inter ſe comparatione attenta abunde pateſcat, *Marcum in conſcribendo libro ſuo ante oculos poſitum habuiſſe non ſolum Matthaeum ſed et Lucam, atque ex his decerpſiſſe quicquid de rebus geſtis ſermonibus et fatis Servatoris memoriae mandaret*, ita tamen, ut

1) Matthaeum quidem potiſſimum et plerumque ſequeretur ducem, at

2) interdum tamen, relicto Matthaeo, Lucae ſeſe adjungeret comitem;

3) ubi Matthaei inſiſteret veſtigiis, lucam tamen ex oculis non dimitteret, ſed hunc cum Matthaeo comparet, et viciſſim;

4) brevitati ſtuderete, quippe qui libellum mole exiguum conſcribere vellet; hinc non ſolum

5) omitteret, quae ad munus doctoris, quo Dominus publice functus eſt, non pertinerent, Matth. 1 & 2. Luc. 1 & 2. ſed etiam

6) praeteriret ſermones complures Chriſti verboſiores, e. gr. Matth. 5. 6. & 7, 10, 16-42. 11, 20-30. 12, 33-45. 13, 37-54. 18, 10-35. 20, 1-16. 22, 1-14 23, 2-39. 24, 37-51. 25, 1-46. Luc. 6, 17-49. 19, 11-28. imo inde a Luc. 10, 1. ad cap. 18, 14. tertiam fere Evangelii Lucae partem intactam praetermittit, quoniam tota fere ſermonibus Chriſti conſtat. Porro in excerpendis Matthaei et Lucae Evangeliis ita verſatus eſt, ut

7) rationem haberet ſuorum lectorum, hoc eſt, hominum a Palaeſtina

e) Ueber den Zweck der Evangeliſchen Geſchichte Iohannis §. 85. ſeqq.

laestina remotorum, quibus Palaestinensium Iudaeorum, nominatim pharisaeorum, placita et instituta minus cognita nec scitu admodum necessaria essent; eamque ob causam partim

8) resecaret nonnulla apud Matthaeum vel Lucam obvia, ad solos Iudaeos et inprimis ad Palaestinenses spectantia, aut horum cogitandi modo accommodata v. c. Matth. 16, 2. 3. 19, 28. Luc. 4, 16-30. 23, 28-32. et

9) parcior esset in allegandis Ver. Test. dictis, e. gr. Matth. 4. 14. 12, 17. 21. 13, 14. 15. partim

10) adderet illustrationis causa, quae suis lectoribus ad rectius intelligendam narrationem vel necessaria vel utilia putaret; e. gr. Marc. 7, 3. 4. 8. 11, 13, 12, 42.

11) persaepe quidem easdem formulas, phrases et constructiones, quas Matthaeus et Lucas usurpassent, retineret, et inter has multas paullo inusitatiores, e gr. Marc. 2, 10. λεγει τῳ παραλυτικῳ 10, 22. ἦν γαρ ἐχων κτηματα πολλα. 12, 14. οὐ μελει σοι περι οὐδενος, οὐ γαρ βλεπεις εἰς προσωπον ἀνθρωπων. 13, 14 τα βδελυγμα της ἐρημωσεως, et parentheticum illud ὁ ἀναγινωσκων νοειτω, et alibi saepe;

12) haud raro tamen aliis verbis idem narraret, aut

13) παραφρασικως exprimeret ac planius et distinctius exponeret, quae illi brevius tradidissent, licet caeteroqui in seligendis rebus gestis et orationibus Christi, quas in commentarios suos quasi transplantare vellet, brevitatis studio duceretur, multasque ac nobiles utriusque Evangelii partes plane, ut vidimus, silentio praeteriret. Paraphrasin agnoscas v. c. Marc. 6, 17-29. 30. 31. 9, 14-29. 38-50. 11, 11-26.

14) adderet ad Matthaei et Lucae narrationes haud paucas περισσεις singulares, quas suis lectoribus gratas esse futuras forte judicasset, velut Marc. 2, 14. ὁ τȣ ἀλφαιου. 5, 42. ἦν γαρ ἐτων δωδεκα. 6, 3. ὁ τεκτων. 6, 13. ἠλειφον ἐλαιῳ ἀῤῥωστȣς. 10, 46 υἱος τιμαιȣ βαρτιμαιος. 13, 3, πετρος και ἰακωβος και ἰωαννης και ἀνδρεας. 14, 51. 52. και εἰς τις νεανισκος ἠκολȣθει αὐτῳ κ. τ. λ. 15, 21. πατερα ἀλεξανδρȣ και ῥȣφȣ 15, 40. &

16. 1. και σαλωμη, et ejusdem fere generis innumera alia; tandem

15) adjungeret narratiunculas quasdam, a Matthaeo aeque ac Luca praetermissas, sed pauculas et perbreves, (deinceps enumerandas) quas quo consilio adjecerit Marcus, lector attentus facile, dummodo curiose eas inter se conferre velit, conjicere poterit.

Ad confirmandam vindicandamve hancce sententiam nostram nolumus dicta ab aliis, qui nobiscum Matthaeum a Marco adhibitum esse statuunt, repetere, nec argumenta multa coacervabimus, sed tribus observationibus id quod volumus evicturos nos esse confidimus.

I. Marcus totum libellum suum, si viginti et quatuor circiter commata, quae de sua penu addidit excipias, de quibus posthaec dicetur, e Matthaei et Lucae commentariis

α) sic compilavit, ut nullo negotio monstrari queat, quid ex hoc, quid ex illo desumserit;

β) ordinem a Matthaeo observatum ita retinuit, ut, sicubi ab eo recederet, Lucae vestigiis insisteret et hunc ordinemque narrationis ejus κατα ποδα sequeretur, adeo ut

γ) commata et vocabula, ubi a Matthaeo transit ad Lucam aut a Luca redit ad Matthaeum, non indicari tantum possint, sed

δ) ratio etiam probabilis reddi queat, cur Matthaeum, licet hoc tanquam praecipuo duce uti statuisset, interdum deseruerit et Lucae sese adjunxerit, aut cur posthabito Luca ad Matthaeum suum iterum sese receperit, imo

ε) intelligi etiam possit, quamobrem hoc praecise Matthaei loco, nec alio, filum quod antea, transiliens ad Lucam, abrupisset, rursum annectat. Paucis: veluti oculis cernere potes Marcum et Matthaei et Lucae volumina ad manus habentem, utraque perpetuo consulentem, ex utrisque quae suis lectoribus maxime profutura esse autumaret decerpentem, mox Matthaeum mox Lucam papillulum e manibus seponentem, semper vero ad eum ipsum utriuslibet locum, ubi divertere ab eo coepisset, redeuntem.

tem. Quod utclarius appareat, rem in tabula, quam notulis nonnullis illustrabimus, adspiciendam exhibebimus.

MAT.	MAR.	LVC.
[Cap. 1. & 2.] *f*)		
3, 1 - 4, 21. *g*)	1, 1 - 20.	
	1. 21 - 39.	4, 31 - 44. *h*)
		[5, 1 - 11.] *i*)
	1, 40 - 3, 6.	5, 12 - 6, 11.
12, 15. 16. *k*)	3, 7 - 12.	
[17 - 21] *k*)		
	3 - 13 - 19.	6, 12. - 16. *l*)
12, 22. 23.	3, 20. 21.	
12, 24 - 32. *m*)	3, 22 - 30.	

MAT.

f) Omittuntur haec capita integra, quia Marcus res a Christo, tanquam doctore publico, gestas enarrare tantum voluit.

g) Marcus, ad Matth. 4, 21. progressus, seponit Matthaeum et transit ad Lucam, quoniam orationem Christi in monte habitam, quae apud Matthaeum hic sequitur, praeterire decreverat. Nimis enim verbosa videbatur ei, exiguum libellum scripturo, et multa praeterea complectitur, quae proxime ad eos tantum homines pertinebant, qui Christum coram in monte loquentem audirent.

k) Quae leguntur Marc. 1, 14. parallela sunt loco Luc, 4, 14 Jis vero quae sequuntur Luc. 4. 15 - 30. nempe sermone in synagoga. Nazaretana habito, accommodatione loci Esaiae, et exemplis ex historia Eliae et Elisaei petitis, his igitur omnibus Marcus suos lectores facile carere posse censebat. Praeterea Marc 6, 1 - 6. de Nazaretanis narrantur nonnulla e Matthaeo, quae cum Luc. 4, 15. sqq. comparari possunt. Hinc patet, quomodo Marcus, a Matthaeo ad Lucam transiliens, ad Lucae 4, 31. devenerit.

i) Omittitur, quia apud Marcum cap. 1, 16 - 20. jam praecesserat narratio e Matthaeo ducta, huic, quae apud Lucam h. l. legitur, haud absimilis.

k) Vide not. m.

l) Marcus hic abrumpit filum, propter orationem montanam h. l. apud Lucam sequentem, et transit ad Matthaeum.

m) Causa cur Marcus, a Luca rediens ab Matthaeum, ad eo commo-

te

MAT.	MAR.	LVC.
[12, 33 - 37.] n)		
[12. 38 - 45.] o)		
12, 36 - 50.	3, 31 - 35.	
12, 1 - 23.	4, 1 - 20.	
	4, 21 - 25. p)	8, 16 - 18.

MAT.

te capitis 12, quod tabula indicat, novam quasi telam exorsus sit, in aprico posita est. Scilicet Luca duce (Luc. 6, 11.) Marcus pervenerat usque ad capitis sui 3 comma 6, ita tamen, ut quoad narrationis ordinem Lucam quidem secutus esset, at Matthaeum tamen simul, ubi hic eadem cum Luca traderet, semper contulisset. Iam locus Marci modo laudatus cap. 3, 6. 7. parallelus est Matthaei 12, 14. 15. Quae sequuntur Marc. 3, 7 - 12. uberius et fere παραφρασικως, additis pluribus circumstantiis, exprimunt commata Matthaei cap. 12, 15. 16. Locum vero prophetae citatum Matth. 12, 17 - 21. consulto omisit Marcus. Atque sic delatus fuit in Matth. 12, 22. Quoniam vero Lucam hucusque tanquam ducem suum secutus erat, pergit adhuc (Marc. 3, 13 - 19) in transscribendis iis, quae Lucas de Apostolorum delectu et nominibus tradit Luc. 6, 12 - 16. quae Matthaeus quidem alio jam loco, sed a Marco praetermisso, (Matth. 10, 2 - 4), anticipaverat. Atqui commate Lucae 17. incipit oratio montana. Hic Lucam, ut diximus, seponit Marcus et ad illum sese convertit Matthaei locum, ad quem usque pervenerat, scilicet Matth. 12, 22. Hic, admonitus a Matthaeo (Matth. 12, 23. ἐξίσαντο πάντες, καὶ ἔλεγον, μήτι οὗτος ἔστιν κ. τ. λ.) singulares quasdam περισσεις a Matthaeo neglectas vel saltim perobscure indigitatas, quas ipse penitius cognitas haberet, inserendas esse putavit Marc. 3, 20. 21. Quo peracto, facem jam praeferente Matthaeo, (cap. 12, 24. sqq.) strenue pergit Marcus cap. 3, 22. seqq.

n) Omittitur, quia sententias his similes Marcus legerat in oratione montana, Matth. 7, 16 - 20. quam a suo libro abesse volebat.

o) Omittitur haec oratio Christi, utpote ad Palaestinenses, quibus Christum coram loquentem audire contigit, potissimum spectans. Praeterea similia his, quae h. l. apud Matthaeum leguntur (comm. 39. 38.) recurrunt mox apud eundem cap. 16, 1 - 4. unde Marcus ea in suum librum (cap. 8, 11, 12.) transtulit.

p) Antecedentia et consequentia e Matthaeo decerpta sunt; haec vero sex commata Lucas suppeditavit. Nempe praecedentia, Marc. 4, 1 - 20. quae desumta erant e Matth. 13, 1 - 23. respondent Lucas

MAT.	MAR.	LVC.
[13, 24-30] q)	4, 26-29.	
13, 31. 32.	4, 30-32.	
13, 34. 35. r)	4, 33. 34.	
		[8, 19-21.] s)
	4, 35-41.	8, 22-25.
	5, 1-43. t)	8, 26-56.
13, 53-58. u)	6, 1-6.	
	6, 7-13.	9, 1-6.

MAT.

Lucae 8, 1-15. Lucam igitur cum Matthaeo contulerat Marcus. Iam vero apud Lucam commate proxime sequente, nimirum cap. 8, 16. inveniebat parabolam elegantem eandemque brevissimam, quam excipiebant comm. 17. 18. gnomae nonnullae itidem perbreves sed memorabiles. Tria haec commata, ad quae Matthaeus eum quasi deduxerat, a suo libello abesse noluit Marcus.

q) Parabola, quae habetur Matth. 13, 24-30. et mentionem injicit *agricolarum dormientium*, in memoriam revocabat Marco aliam de *agricola dormiente* parabolam, brevitate sua non minus quam elegantia commendabilem, et cum argumento parabolarum et gnomarum proxime antecedentium & sequentium magis adhuc, quam illa apud Matthaeum parabola, consentientem. Hanc igitur in locum substituit alterius, quae praeterea explicationem uberiorem, (Matth. 13, 36-43.) quam Marcus brevitati studens in libellum suum transfundere nolebat, adjunctam haberet.

r) Sat multas parabolas e Matthaeo jam descripserat Marcus. Cum vero Matthaeus porro parabolis adderet parabolas, Marcus velut fatigatus hunc ducem aliquantisper valere jussit, et ad Lucam se recepit.

s) In decerpendo Luca Marcus pervenerat usque ad Luc. 8, 18. Narratiunculam comm. 19-21. hic omisit, quia supra jam (Marc. 3, 31-35) eo loco et ordine, quo apud Matthaeum eam invenerat, in suos commentarios retulerat. Itaque devenit ad comma proxime sequens Luc. 8, 22. Hic igitur pergit.

t) Quae Marci capite 5. continentur, leguntur quidem etiam apud Matthaeum, sed partim alio loco et ordine, partim paucioribus verbis. Manifestum erit unicuique tres Evangelistas comparanti, Marcum haec omnia non Matthaeo accepta referre, sed Lucae.

u) Marcum nimia parabolarum Matthaei cap. 13. copia quasi obrutum, Lucae se adjunxisse comitem, nota r. vidimus. Veruntamen eum Matthaeum potissimum sibi elegisset, ad cujus ductum memorabilia

MAT.	MAR.	LVC.
14, 1 - 2	6, 14 - 16.	9, 7 - 9.
14, 3 - 12.	6, 17 - 29.	
	6, 30. 31.	9, 10.
14, 13 - 21.	6, 32 - 44.	9, 11 - 17.
14, 22. - 16, 12.	6, 45 - 8, 21.	
	8, 22 - 26. *x*)	
16, 13 - 18, 9.	8, 27 - 9, 50. *y*)	9, 18 - 51.
[18, 10 - 35.] *z*)		
		[9, 51 - 18, 14] *aa*)
19, 1 - 12.	10, 1 - 12.	
19, 13 - 23, 1.	10, 13 - 12, 38. *bb*)	18, 15 - 20, 45.
[23, 1 - 39.] *cc*)		
	12, 38 - 44.	20, 45 - 21, 4. *dd*)
24, 1 - 36.	13, 1 - 32.	21, 5. sqq.
[24, 37 - 25, 46.]	13, 33 - 36. *ee*)	

MAT.

Christi scripto consignaret, jam ad Matthaeum suum redit, et quidem ad eum ipsum locum, quo parabolae istae finiuntur, nempe ad Matth 13, 53. 54. Interim Lucam non tamen plane negligit, sed diligenter eum cum Matthaeo confert. Hinc pericopae sequentes mox ex hoc mox ex illo sunt decerptae.

x) Haec solus habet Marcus. De his vero, quae apud Marcum tantum occurrunt, posthaec differetur.

y) In hac pericopa, Matthaei potissimum vestigia premit, collato tamen Luca.

z) Omittitur prolixior haec Christi oratio apud Marcum.

aa) Omittuntur haec Lucae capita. Continentur enim iis, qua partem maximam, orationes Christi verbosiores, quibus paucae tantum de rebus a Christo gestis narratiunculae adspersae sunt.

bb) Marcus hic Matthaeum adhibet ducem, et praeterit ea, quae Lucae sunt peculiaria, velut Luc. 19, 1 - 28. Sed Lucas etiam praesto ipsi fuit. Vide e. gr. Marc. 10, 15 - 29.

cc) Omittitur satis verbosa Christi oratio.

dd) Marci 12, 37. 38. parallelum erat Lucae 20, 44. 45. Hinc Marcus jam pergit Luc. 20, 45.

ee) Prolixiores sermones, quos Matthaeus exhibet, praetermittit Marcus, et in eorum locum substituit perbrevem oratiunculam, ejusdem fere cum sermonibus apud Matthaeum extantibus argumenti.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0014
DFG

MAT.	MAR.	LVC.
26, 1 - 28, 8.	34, 1 - 16, 8.	
	16, 9. *ff*)	
[28, 9 - 15.] *gg*)	———	
[28, 16. 17.] *hh*)	———	
	16, 10 - 13.	24, 10 - 35.
	16, 14.	24, 36 - 43.
28, 18 - 20.	16, 15 - 18.	
	16, 19.	24, 50. 51.
	16, 20.	

Cum igitur, posita nostra sententia, absque multarum hypothesium nimis artificiose excogitatarum adminiculo, planissime tum ostendi queat, cur Marcus haec illa in suos commentarios retulerit, alia autem omiserit, tum etiam perspicue ratio reddi possit, cur quidque, ne unico quidem commate excepto, eo loco, *ii*) quod apud

ipsum

ff) Quae inde ab hoc commate leguntur apud Marcum, dubia sunt. Si vero genuina esse censes, facile videbis e tabula nostra, ea esse partim ex Matthaeo partim e Luca desumta et in epitomem quasi redacta, (quod posterius tamen a more Marci abhorrere videtur,) adspersis etiam nonnullis, quae in neutro illorum occurrunt.

gg) Quae de custodibus tradit Matthaeus, omittit Marcus, uti etiam Matth. 27, 62 - 66. narrationem de sepulcro custodibus munito silentio praeteriverat. Recte enim judicabat, lectores ab Hierosolymis remotos, ad quorum aures non pervenerant rumores a Matthaeo cap. 28, 15. memorati, non magis has narratiunculas esse desideraturos, quam illam, de Iudae proditoris morte et de agri Haceldama dicti emtione. Matth. 17, 3 - 10.

hh) Si genuina essent postrema Marci commata, nec authentica clausula Evangelii, quae versum 8. excipiebat, intercidisse videretur, mirari omnino fas esset, quid sit quod Marcus, qui commate 6. et cap. 14, 28. mentionem fecerat promissi, discipulos in Galilaea visuros esse Dominum, prorsus sileat de itinere in Galilaeam, quanquam apud Matthaeum relatum legerit, vidisse omnino discipulos, uti promissum fuerat, Christum in Galilaea.

ii) Notatu inprimis dignum est, Marcum ne tum quidem ab ordine quem praeivit Matthaeus recedere, ubi hic plane arbitrarius est. E. gr. cap. 14, 12. commemorat Matthaeus, suspicatum esse Herodem, Iesum, multis miraculis clarum, esse Ioannem baptistam a mortuis resuscitatum; et hac arrepta occasione caedem Ioannis velut

in

ipsum id legimus, positum sit: jam sic, quod volebamus, effeciſſe nos putamus. Sed idem alia adhuc ratione confirmari et evinci poteſt. Progredimur itaque ad alteram obſervationem noſtram.

II. In tanta rerum memorabilium a J. C. geſtarum multitudine ſermonumque a Domino quotidie ſive ad populum ſive ad diſcipulos ac familiares ſuos habitorum incredibili varietate, caſu utique fortuito non accidit, ut Marcus quod litteris conſignaret haberet plane nihil, praeter id, quod Matthaeus aut Lucas ſimiliter memoriae mandaſſent, vel cujus commemorandi ſaltim occaſionem alteruter praebuiſſet. Lucas et Ioannes haud pauca tradideruut, quae Matthaeus prorſus intacta reliquerat, et Evangeliſtae ipſi pluribus locis innuunt, multa in libris ſuis praetermiſſa eſſe geſta Chriſti illuſtria et mirifica, multosque praeteritos Domini ſermones, quos Evangeliorum brevitas non caperet. Quid igitur cauſae eſt, cur ex tam immenſa παραλειπομενων copia Marcus non proferat ſaltim nonnulla, ſed eadem plane narret, quae ex ampliſſima ſcribendi materia Matthaeus etiam et Lucas decerpſere? Marcus, inquam, qui a matre ſua Hieroſolymis habitante, in cujus aedibus Apoſtoli caeterique Chriſtiani ſuos conventus celebrare ſolebant, Act. 12, 12. permulta audire poterat non omnibus nota; Marcus praeterea, qui aliquamdiu et Pauli et Petri miniſter ac comes fuerat, et ab his eorumque familiaribus procul dubio multa cum facta tum dicta Domini acceperat relatu ſane non indigna; Marcus denique, Matthaei & Lucae narrationes tot ſingularibus περιστασεσι locupletavit, (vid ſupra pag. 5, nr. 13 & 14.) ut nemo non videat, perbene cognitam eum habuiſſe Chriſti hiſtoriam, et longe plura, ſi voluiſſet, de Domino narrare potuiſſe; quid quaeſo eſt, quod hic talis Marcus, praeter iſtas περιστασεις, iis quae Matthaeus et Lucas commentarius mandarunt mihil addiderit novi? Si quidem nobiscum ſtaruas, propoſitum fuiſſe Marco, e Matthaei et Lucae Evangeliis ſeligere ea, quae iis quibus ſcribebat hominibus utiliſſima eſſent, eaque ita narrare, uti talibus lectoribus narrari deberent: plana ſunt omnia extricata. Sin contra proprio quod ajunt Marte et nullius adminiculis Marcum ſcripſiſſe ſumas,

prodigio

in tranſcurſu enarrat. Eandem rem eodem modo et loco et ordine, qui ſane quam maxime fortuitus eſt et arbitrarius, Marcus quoque refert cap. 6, 14.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0016
DFG

prodigio simile est, in deligendo ex immensa materia libelli argumento non nisi eadem tractanda eum sibi sumsisse, quae Matthaeus etiam aut Lucas tractassent. Sin denique contendas, alios aut plures quam hos duumviros modo laudatos eum habuisse duces, scire velimus, qui factum sit, ut hi nihil aliud, si versus excipias circiter 24, ipsi suggererent, quam quod aeque e Matthaeo et Luca mutuari potuisset. *Nihil*, inquam, *praeter commata viginti quatuor.* Nam nec merae amplificationes paraphrasticae eorum quae apud Matthaeum & Lucam leguntur, neque nonnullarum περιφατεων additamenta paucis vocabulis comprehensa, qualia supra p. 5. nr. 10. 13. & 14. indicavimus, in censum hic venire possunt. Quare operam utique perderet, qui ad impugnandam thesin nostram provocare vellet ad Marc. 1, 2. 33. 2, 2. 3. 4. 27. *kk*) 3, 20. 21. *ll*) 10, 10. 11. 12. 12, 32. 33. 34. aut ad locos his similes. *Tres* tantum sunt *narratiunculae* de miraculis a Christo perpetratis, cap. 3, 7-12. cap. 7, 32-37. et cap. 8, 22-26. atque *duae parabolae*, cap. 4, 26-29. ac cap. 13, 33-36. quae forte Marco ita propriae videri possint, ut speciose opponi nobis queant.

Quod ad parabolas illas attinet, supra *mm*) jam ostendimus, utramque substituram esse in locum alterius parabolae verbo sioris sed similis argumenti, quae in eodem sermonis contextu apud Matthaeum legitur, et causam adeo vidimus, cur Marcus suas parabolas illis quas Matthaeus habet, praeferendas esse censuerit. Tantum igitur abest, ut ex his parabolis cogi possit, Marcum nullo, aut alio saltim quam Matthaeo, hic usum esse duce, ut potius manifestum sit, interserendarum harum parabolarum occasionem Marcum cepisse a Matthaeo. Eadem fere ratio est narrationis Marc. 3, 7-12. Nimirum Marcus scribit comm. 7. και ὁ ἰησους μετα των μαθητων αὐτου ἀνεχωρησεν εἰς την θαλασσαν, και πολυ πληθος ἀπο της γαλιλαιας ἠκολουθησαν - - - comm. 10 πολλους γαρ ἐθεραπευσεν - - - comm. 2. και πολλα ἐπετιμα αὐτοις, ἱνα μη αὐτον φανερον ποιησωσιν. Matthaeus vero haec habet

kk) Forte additamento hoc monere voluit lectores, quo sensu accipi debeat sententia proxime sequens. Praeterea comma hoc abest a codicibus nonnullis.

ll) Conf. supra notam m. in fine.

mm) Vid. not. q. et ee.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0017
DFG

cap. 12, 15. 16. ὁ δε ἰησους γνους ἀνεχωρησεν ἐκειθεν. και ἠκολουθησαν αὐτῳ ὀχλοι, και ἐθεραπευσεν αὐτους παντας. και ἐπετιμησεν αὐτοις, ἱνα μη φανερον αὐτον ποιησωσιν. Quis hic non videt, Marcum παραφραζειν textum Matthaei, et adjectis circumstantiis nonnullis amplificare tantum hujus narrationem. Nam Marci dum haec scriberet oculis hunc ipsum Matthaei locum obversatum esse, e tabula quam supra exhibuimus et e nota m. apparet. Non igitur contra nostram sententiam sed pro ea pugnat hic locus. Idem valet de narratione altera Marc. 7, 32 - 37. Nam huius quoque hoc loco interserendae Matthaeus occasionem dedit. Matthaeus scilicet (cap. 15, 30. 31.) multos aegrotos a Christo sanatos fuisse tradit; Marcus vero unius ex ista turba sanationem, additis περιστασεσι nonnullis, quae notatu prae aliis dignae ipsi videbantur, curatius describit.

MAT.	MAR.
Και προσηλθον αυτω ὀχλοι πολλοι ἐχοντες μεθ ἑαυτων -- κωφους -- και ἐρριψαν αὐτους παρα τους ποδας τυ ἰησου,	Και φερουσιν αὐτω κωφον μογιλαλον, και παρακαλουσιν αὐτον, ἱνα ἐπιθῃ αὐτῳ την χειρα - - -
και ἐθεραπευσεν αὐτους,	και εὐθεως διηνοιχθησαν αὐτυ αἱ ἀκοαι - - -
ὡστε τους ὀχλους θαυμασαι, βλεποντας κωφους λαλουντας - - - και ἐδοξαζον τον θεον ἰσραηλ.	και ὑπερπερισσως ἐξεπλησσοντο, λεγοντες. καλως παντα πεποιηκε.

Itaque *sola* supersest historiola tertia Marc. 8, 22 - 26. Hanc fatemur adjectam esse a Marco, nec quidquam in Matthaeo vel Luca invenimus, quod huic additamento h. l. adponendo ansam praebere potuerit. Utut est, si hancce historiolam cum duabus aliis, de quibus modo differebamus, curiosius comparamus, mirum inter eas consensum deprehendimus, atque sic prona conjectura non solum causam assequimur, cur haec coeci cujusdam hominis sanatio tanti momenti visa sit Marco, ut in ea narranda a regula discederet, quam sibi praescripsit et constantissime, unico hoc loco excepto, servavit, verum simul etiam rationem reddere possumus, cur

duos

duos istos alios Matthaei locos mox indicatos (Matth. 12, 15. 16. & 15, 30. 31.) copiosiore rerum circumstantium enarratione illustrandos judicaverit. Nempe tribus istis historiolis commune hoc est, quod Iesus latere voluerit, et iis quos sanasset, ne rem divulgarent, interdixerit. Nimirum Marc. 3, 12. legimus: πολλα ἐπετιμα αὐτοις (daemoniacis) ἱνα μη αὐτον φανερον ποιησωσιν. Marc. 7, 33. et 36. vero: ἀπολαβομενος αὐτον (τον κωφον μογιλαλον) ἀπο τȣ ὀχλȣ κατ' ἰδιαν - - και διεστειλατο αὐτοις, ἱνα μηδενι ἐιπωσιν. Tandem Marc. 8, 23. & 26. ἐξηγαγεν αὐτον (τον τυφλον) ἐξω της κωμης - - λεγων μηδε εἰς την κωμην ἐισελθῃς, μηδε ἐιπῃς τινι ἐν τῃ κωμῃ. Tribus his Marci locis addimus duos alios, ejusdem fere generis additamento notabiles. Cap. 7, 24. narrat e Matthaeo, Iesum venisse in confinia Tyri & Sidonis, atque *addit*: ὀδενα ἠθελε γνωναι, και ὐκ ἠδυνηθη λαθειν. Cap. 9, 30. iterum Matthaeum secutus, Christum irer per Galilaeam fecisse tradit, et itidem *addit*: και ουκ ἠθελε, ἱνα τις γνω. Itaque manifestum est, Marcum alias quidem *ubique* κατα ποδα vel Matthaeum vel Lucam sequi, neque de suo (si curatiorem περιςασεων quarundam enumerationem excipias) quidquam admiscere, *nisi* forte inveniret apud Matthaeum vel Lucam historiolam, quae doceret, Iesum non captasse populares acclamationes, sed plebi non raro ultro sese subtraxisse, imo cavisse interdum sedulo, ne praeclare facta sua innotescerent multitudini; non igitur vanae gloriae studio ductum eum fuisse, nec miracula eo patrasse consilio, ut stupenti et otiosae plebi inusitatum praeberet spectaculum. Hasce tales historiae Domini particulas copiosius pertractare solet, ac sicubi Matthaeum et Lucam ejusmodi quid praetermisisse animadvertit, supplere id satagit. Cur vero hoc narrationum genus prae reliquis omnibus magni momenti esse et iis lectoribus, quibus libellum suum destinaverat, apprime utile futurum judicaverit, non liquet. Non improbabiliter fortasse conjicere aliquis posset, doctores illarum regionum, charismate ἰαματων 1 Cor. 12, 9. instructos, simili fere modo interdum eo abusos esse, quo Corinthios nonnullos γλωσσαις temere usos fuisse scimus. Hos forte Marcus, proposito Domini exemplo, corrigere voluit.

III. Marcus, postquam alterutrius, sive Matthaei sive Lucae, vestigiis per longum velut tractum inhaesit, saepe repentino saltu

ab

ab altero ad alterum transsilit, mox vero ad priorem ducem redit; id quod fieri non potuisset, nisi utriusque commentarios simul inspexisset et inter se comparasset. Sic Marc. 3, 1-5. e Luca desumtum est; comma 6. autem, ad eandem narrationem pertinens, e Matthaeo. Praeterea Marcus cap. 5, 25. 26. 27. Luca utitur duce; comm. 28. Matthaeo; et comm. 29. seq. iterum Luca. Porro Marc. 8, 37. decerptum est e Matthaeo, et abest a Luca; comma 38. Lucae debetur, et desideratur apud Matthaeum; cap. 9, 1 2. (μεθ' ἡμέρας ἓξ) rursus e Matthaeo derivatum est. Tandem Marcus cap. 10, 22. 26. 27. imitatur Matthaeum; comm. 28. 29. cum Luca concordat et omittit quae Matthaeo propria sunt; sed comm. 20. transscribit e Matthaeo sententiam, quam hic solus habet. Denique cap. 13, 24. 25. Matthaei vestigia premit; commate 26. pretermittit quae Matthaeo peculiaria sunt et Lucam sequitur; comm. 27-32. autem in singulis paene verbis cum Matthaeo rursus concinit. Tacemus plura.

Quae hactenus disputavimus, ad declarandam et confirmandam sententiam nostram sufficere censemus. Non ignoramus quidem, quae a viris doctis ad eam convellendam in medium prolata sunt. Sed pleraeque objectiones hypothesin nostram, si iis finibus, quibus supra eam circumscripsimus, sese contineat, plane non tangunt. Ad caeteras quod respondeatur, in promtu quidem est; sed hoc saltim tempore et loco operam huic rei dare non possumus.

Nec multi erimus, CIVES OPTIMI, in Vobis Vestri officii commonefaciendis. Speramus enim et plane confidimus, Vosmet ipsos Vobiscum serio esse reputaturos, quid hoc praesertim tempore, quod summa beneficia a Deo in homines collata in memoriam nobis revocat, divinae humanaeque sapientiae cultores deceat, et quid tanti festi solemnitas a vobis postulet. Omnino persuasum nobis est, res Vestras per hosce dies Vos ita esse acturos, ut tum omnes tum inprimis publici religionis administri Vestrae in Deum pietatis documenta videant fructusque experiantur.

P. P. ipso Pentecostes die A. O. R. MDCCLXXXIX.

(L. S.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0020
DFG

F Reppien

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0023
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0024
DFG

cepta Domini, ad quae Paulus subinde deliberato st
v. c. l. ad Cor. 7, 10. (coll. Matth. 5, 32. 19, 4 —
(coll. Matth. 10, 10.) dirigit ea certe esse, quae apud Mat
leguntur; *) unde etiam, ubi de aliqua re επιταγην
c. 7, 25. affirmat, interpretandus videtur. Praeterea quae A
pta fuerunt, iisdem adhuc viventibus nondum tam cara, q
posthaec, habita fuisse, multis modis atque etiam e loc
3, 14 — 16. apparet, ubi Apostolus finem suae vita
non ad sua vel aliorum Apostolorum scripta ablegat
testamentum usurpandum et ad normam christianae fi
dum hortatur dilectissimum disciplinae suae alumn
que Paulini christianismi statorem ac vindicem.

Quibus consideratis si probabile est, primum Ma
gelium a finita Iesu vita multo propius abfuisse, colle
rationum aliam eo priorem extitisse nemo ita facil
Durante primo illo decennio, inter ingestas a ludaei
hunc illumve historias singulares quasdam, quarum
rat vel mentio fiebat a testibus, separatim annotasse p
Hanc memoriae adjuvandae materiem nondum coord
thaeus coram inveniebat, Lucas, cum diversam multor
nem (αναταξιν) eo temporis intervallo, quod Matthaei
Lucae consilium scribendi interceserat, factam non
ipse e superiori aetate (ανωθεν) conquirebat.

Evangelia vero illa apocrypha, velut Nazaren
atque alterum secundum Aegyptios, si fragmenta, u
ca de illis judicandi materia petenda est, intuemur,
rudis et indigesta narratiuncularum maxima ex parte
dictorum ingenio Iesu indignorum ac perverse inte
rago sunt, ut Apostolis adhuc vivis collectio talis loc
ctoritatem invenire non potuisse videatur. His d
toribus vita egressis, cum Papiana illa superstitio, a se
nis, quidni etiam a quibusdam repuerascentibus, o

*) cf. etiam I. Cor. 15, 52. cum effato Iesu servato ap. Mat

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004524277/phys_0025
DFG